

imperator Karolus per frenum ipsum in Romam introduxit ^{secum} ambulando ad pedes.

Eidem successit dominus Gregorius XI alias dominus Bellifortis qui etiam iit Romam et ibi defunctus est et sepultus

Cui successit Urbanus VI. electus ab archiepiscopatu Barrensi et habuit adversarium Gebanensem electum post eum. Idem iit in Avinionem. et incepit horrendum scisma quod multis annis duravit.

Alia manus pergit.

Cui successit Bonifacius VIII adhuc durante predicto scismate a. d. 1402. Cum hec fuerunt scripta erat annus domini Bonifacii 13.

Et post hunc Innocentius VI qui totis viribus ad unionem sancte matris ecclesie intendebat sed ipse morte ^{occupatus} ~~preventus~~ unionem ad effectum non perduxit. Hic plures illustres et doctos viros in cardinales conscrivit qui zelo iusticie accessi pro sancta unione plurimum laboraverunt.

Post hunc Gregorius XI in papam eligitur qui ante et post electionem sollemniter iuravit quod vellet cedere de papatu, dummodo et antipapa dictus Benedictus similiter cedere vellet, sed cum dicti pape Gregorius et Benedictus nollent cedere cardinales ab utroque recesserunt de sacra unione inter se tractantes. Qui generale concilium in civitate Pyana convocantes de omnibus partibus mundi ad dictum concilium sollemnissimi viri convenerunt. inter quas erant patriarche Antiochenus